

ut verbis & factis etiam laudent & celebrent creatorem suum omnipotentem. Nuda enim perfectionum manifestatio, ut nempe a creaturis rationalibus agnoscerentur, non tamen illis conformiter ab illis ageretur, non potuit a Deo intendi; quoniam ita Deus finem intendisset, vel nullum vel imperfectum, Deo autem cultus competit summus vi infinitarum ejus perfectionum, quem etiam non potuit non intendere.

§. 29.

Vi finis a Deo intenti creandæ erant creaturæ rationales.

Cum adeo finis Dei sit manifestatio suarum perfectionum & cultus hinc resultans (§. 28.), vi finis istius creandæ erant creaturæ rationales (§. 21. 17.). Nemo non videt, finem Dei postulare creaturas rationales, sine quarum existentia finis ille cessat. Cum decreto igitur manifestandi gloriam arctissime connexum est decretum creandi creaturas rationales.

§. 30.

Finis, homini constitutus, quis?

Finis itaque creaturis rationalibus a Deo constitutus, est, ut Deum colant (§. 28. 29.). Homini igitur, qui ex numero illarum est, finis præfixus est, ut Deum colat.

Nihil certe remanet, quo homo possit gloriam Dei promovere, quam ipsum colendo, ad quem finem etiam ipsum creatum esse diximus.

§. 31.

Convenienter fini creatum quid dicitur?

Si Deus creat Ens A ad finem aliquem B, & illud A ita creatum est, ut finis B per illud obtineri possit; tum A dicitur esse creatum fini B convenienter. Convenienter itaque fini creatum esse dici potest, quod habet ea, quæ ad finem obtinendum sufficiunt.

§. 32.